Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Historica De Romanorum Et Saxonum Expeditionibus In Britanniam

Uhland, Ludwig Joseph
Kurz, Jacob Friedrich

Tubingae, 1768

VD18 10536426

urn:nbn:de:bsz:31-94956

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

XII C. 23

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

6

DISSERTATIO HISTORICA
DE
ROMANORVM ET SAXONVM EXPEDITIONIBVS
IN
BRITANNIAM,

QVAM,
SVB DIVINIS AVSPICIIS
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
CAROLO,
DVCE WÜRTEMBERGIAE ET TECCIAE, rel. rel.
PRAESIDE
LVDOVICO JOSEPHO VHLAND,
HISTORIARVM PROF. PVBL. ORDINARIO,
FAVTORE AC PATRONO SVO COLENDISSIMO
d. Octobr. A. MDCCLXVIII 1768
AD CONSEQVENDOS SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IACOBVS FRIDERICVS KVRZ, Tubingensis,
MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATVS IN DVCALI STIP.

TVBINGAE, LITTERIS IO. AD. SIGMVNDI.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

§. I.

Britannia *a*), Insularum Europae et maxima & fertilissima *b*), olim quoque *Albion* dicta, a *Celtis*, *c*) *Gomeri* posteris, primos accepit incolas, magnam partem ex Gallia aduectos, qui se ipsos *Cumros* s. *Cumbros* nominarunt; vnde hodienum Walliae Principatus, qui reliquias veterum incolarum complectitur, durante originis vi, *Cambria* s. *Cambro-Britannia* appellatur. Iidem incolae in varios populos *d)* diuisi erant, quibus Reguli Principesque imperabant, pacem quidem vt plurimnm inter se colentes, *e*) nullo tamen ciuitatis systemate uniti. *f*)

a) *Britanniae* nomen compositum est ex Celtica voce *Brit*, quae in antiqua gentis lingua *maculosum* s. *pictum* significat, & graeca τανία, regionem denotante. Hinc *Britanni* Martiali *Caerulei* dicuntur, quod *glasto* se pingerent. JVL. CAES. de Bello Gall. L. V. C. XIV. Omnes, inquit, se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem, atque hoc horribiliore sunt in pugna aspectu.

b) TACITVS in Vita Agric. C. 10. *Britannia* insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima. EVMENIVS in Panegyr. Constant. Aug. C. IX. Britanniam omnibus coeli ac soli bonis natura ditauit, in qua nec rigor est nimius hyemis, nec ardor aestatis, in qua segetum tanta foecunditas, vt muneribus vtrisque sufficiat et Cereris et Liberi, in qua nemora sine immanibus bestiis, terra

terra sine serpentibus noxiis: contra pecorum mitium innumerabilis multitudo, lacte distenta et onusta velleribus.

c) CAMBDENVS in Britannia p. 11. RAPIN DE THOYRAS Allg. Gesch. von England I. B. p. 6. TACITVS in *Vita Agricolae* C. XI. „Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an aduecti, vt inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii; atque ex eo argumenta. Nam rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus, Germanicam originem asseuerant. Silurum colorati vultus et torti plerumque crines, et posita contra Hispania, Iberos veteres traiecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt. Proximi Gallis, et similes sunt: seu durante originis vi, seu procurrentibus in diuersa terris, positio coeli corporibus habitum dedit. In uniuersum tamen aestimanti, Gallos vicinum solum occupasse credibile est.

d) *Cantios*, *Regnos*, *Belgas*, *Atrebatios*, *Durotriges*, *Damnonios*, *Trinobantes*, *Icenos*, *Cornauios*, *Silures*, *Caledonios* &c. a Caesare, Tacito, Ptolemaeo aliisque memoratos recenset, eorumque situm & oppida exponit CHRISTOPHOR. CELLARIVS in Notitia Orbis Antiq. T. I. L. II. C. IV. § XVI — LXXI.

e) DIOD. SIC. Hist. L. V. C. 21. Εἶναι δὲ καὶ πολυάνθρωπον τὴν νῆσον — Βασιλεῖς τε καὶ δυνάστας πολλὰς ἔχειν, καὶ πρὸς ἀλλήλους κατὰ τὸ πλεῖστον εἰρηνικῶς διακεῖσθαι!

f) TACITVS de Vita Agricolae C. XI. Olim Regibus parebant, (Britanni) nunc per Principes factionibus et studiis trahuntur. Nec aliud aduersus validissimas gentes pro nobis vtilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusue ciuitatibus ad propulsandum commune periculum conuentus. Ita dum singuli pugnant, vniuersi vincuntur.

§. II.

Hi Britanni ab extraneis viribus, dum aliis Europae, Asiae et Africae populis durum servitutis iugum a Romanis imponebatur, diu intacti, imo Romanis ipsis vix cogniti fuerunt. Tandem vero anno ante Aer. Dionys. 55. JVLIVS CAESAR omnium memoratur primus, g) qui partim gloriae cupidine, partim margaritarum, quas Oceanus Britannicus gignit, amore *h*) ductus, post deuictos Gallos, insulam hanc aggressus est, toto diuisos orbe Britannos Romanorum imperio subiecturus. Ipse causam inuasionis adducit hanc, quod, *omnibus fere Gallicis bellis, hostibus Romanorum inde* (e Britannia) *subministrata auxilia* intelligebat. Licet vero

vero Caesar multa de binis suis in Britanniam expeditionibus referat, *i*) prosperaque pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, certumque Britannos tributum pendere coëgerit, tamen ostendit magis Britanniam posteris, quam tradidit. *k*) Imo ne integram quidem Britanniam ipse vidit, eamque fama magis ductus, quam experientia, insulam natura triquetram vocat, quia in Cantio tantum, inter fretum et Tamesin, res gessit, neutra vero expeditione ad interiora venit. *l*) Mox bella Romanorum ciuilia, et in rempublicam versa principum arma, Britannos sibi reliquerunt, et in pace etiam erat longa eorum obliuio. AVGVSTVS quidem bis expeditionem in Britanniam suscepturus erat, sed primam supplex Britannorum legatio impediebat, alteram tumultus Salassorum et Cantabrorum. *m*) Postea consilio a Britannia abstinere videbatur Augustus, quia intra terminos imperium Romanum coercendum esse statuebat, contentus amicitiam cum Britannis colere, et tributi loco nescio qnid minutarum rerum accipere *n*) *Consilium hoc* AVGVSTI TIBERIVS, qui omnia dicta factaque AVGVSTI vt oraculum obseruabat, pro praecepto habebat. C CALIGVLAM *a. aer. D.* 40. *agitasse de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis poenitentia, et ingentes aduersus Germaniam conatus frustra fuissent.* *o*) Sic factum, vt vsque ad CLAVDII tempora Britannia Romanis ne cognita quidem penitus, et a Jul. Caesare tantum tentata, nequaquam autem subiecta fuerit.

g) *Diod. Sic.* L. c.

h) SVETONIVS in Jul. Caes. C. 47. *Britanniam petiisse* Caesarem, inquit, *spe margaritarum*, quarum amplitudinem conferens interdum sua manu exegit pondus.

i) Comment. de Bello Gall. L. IV. C. XX — XXXVIII. L. V. C. VIII — XXIII.

k) TACITVS in Vita Agricolae C. XIII.

l) LVCANVS inquit: *Territa quaesitis ostendit terga Britannis Caesar* et HORATIVS Epod. VII, 7. *Intactus aut Britannus* vt descenderet sacra catenatus via.

m) DIO CASSIVS L. LIII. p. 512. et seq. TACITVS Annal. L. I. C. II

n) STRA-

n) STRABO Geograph. L. IV. p. 200.
o) TACITUS in Vita Agricolae C. 13. SUETONIUS in Caligula C. 44. 46.

§. III.

Anno igitur demum ae. D. 43. Imperator CLAUDIUS vera Britannicae ſubiectionis fundamenta jecit. Cum enim Britannus quidam *Bericus*, qui ſeditionem in patria mouerat, Romamque fugerat, CLAUDIUM ad debellandam Britanniam impelleret, Britanniqne ob hunc aliosque transfugas non redditos tumultuarent, et tributa quoque pendere negarent; *Aulum Plautium*, virum bello egregium, contra Britannos miſit CLAUDIUS, qui, transuectis Legionibus auxiliisque, hoſtes aggreſſus eſt, et Germanorum in primis ope, qui rapidiſſima flumina facile in armis tranabant, aliquoties in fugam dedit, et Tameſin fluuium tranſire coegit. Heic CLAUDIUM ipſum ad ſe accerſiuit, qui, nouis in Britanniam copiis adductis, Tameſin transgreſſus ſignis collatis cum hoſtibus dimicauit, victoriaque potitus eſt, et *Camulodunum*, Cynobelini, Trinobantum Principis, regiam cepit, multosqne vi, alios deditione in ſuam poteſtatem redegit. Hoſtibus hiſce deuictis CLAUDIUS arma ademit, *Plautioque* eos regendos, et reliquos ſubigendos mandauit; ipſe Romam contendit *p*) ſextoque quam profectus erat menſe rediit, *Triumpho* a Senatu ornatus. Inter hoſtilia ſpolia naualem coronam faſtigio Palatinae domus iuxta ciuicam fixit, traiecti et quaſi domiti oceani inſigne. *q*) PLAVTIO Propraetori, cui Romam ſub finem anni 47 redeunti *ouatio* decreta fuit, ſucceſſit *Oſtorius Scapula*, qui iſtam Britanniae partem, quae tum Romanorum imperio ſubiecta erat, in *Prouinciam Romanam* redegit, anguſtis finibus, *Antona* (hodie Auon) et *Sabrina* fluminibus, *circumſcriptam*, veteranorumque Coloniam *Camulodunum* deduxit, qua, qui in armis eſſent, repellerentur, et qui in ditione, legibus Romanis aſſuefierent et ſub faſcibus viuere addiſcerent. Denique *Caractacum*, *Silurum Ordouicumque* Ducem, captiuum cum coniuge et filia fratribusque

que Romam transmisit, septimo anno post quam bellum in Britannia coeptum i. e. anno 51. Censebantur *Ostorio* triumphi insignia, prosperis tum rebus ejus, mox vero ambiguis. Hostes namque praefectum castrorum et legionarias cohortes, exstruendis apud Silures praesidiis relictas, circumfundunt, ac, ni cito vicis et castellis proximis subuentum foret, copiae occidione tum occubissent: Praefectus tamen et octo Centuriones ac promtissimus quisque manipulus cecidere, nec multo post pabulantes Romanos missasque ad subsidium turmas profligant. Crebra hinc praelia et saepius in modum latrocinii. Ac praecipua *Silurum* peruicacia, quos accendebat vulgata Imperatoris Rom. vox: *Vt quondam Sicambri excisi, et in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus exstinguendum.* Igitur duas auxiliares cohortes, auaritia praefectorum incautius populantes, intercepere, spoliaque et captiuos largiendo, ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cum taedio curarum fessus *Ostorius* concessit vita. Caesar, cognita morte Legati, ne prouincia sine rectore foret, *Aulum Didium* suffecit, qui parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in vlteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. r)

p) *Dio* CASSIVS L. LX. p. 677. et 678. vbi simul memorat, quod Plautius *difficulter exercitum e Gallia abduxerit, indigne ferentem, quod extra orbem terrarum bellum esset gerendum.*
q) SUETORIUS in Claud. C. 17.
r) TACITUS Annal. L. XII. C. 31 — 40. Vita Agric. C. 14.

§. IV.

Nerone imperante *Didium Veranius* excepit, qui, modicis excursibus *Siluras* populatus, quin vltra bellum proferret, morte prohibitus est, magna, dum vixit, seueritatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus, quippe multa in Neronem adulatione addidit; *subiecturum ei prouinciam fuisse, si biennio proximo vixisset.* SUETONIUS hinc PAVLINVS obtinebat

tinebat prouinciam, et biennio prosperas res habuit, subactis nationibus firmatisque praesidiis, quorum fiducia *Monam* insulam, (hodie *Anglesey*,) incolis validam et receptaculum perfugarum, et aggreditur et expugnat. Praesidium posthac impositum victis, excisique luci, saeuis superstitionibus sacri. Haec agenti SUETONIO *repentina defectio prouinciae* nunciatur, *auaritia* et *crudelitate Romanorum* excitata, Legatis in sanguinem, Procuratoribus in bona Britannorum saeuientibus. *Rex Icenorum Prasutagus, longa opulentia clarus*, Caesarem (Neronem) haeredem duasque filias scripserat, tali obsequio, ratus, regnumque et domum suam procul iniuria fore: quod contra vertit, adeo, vt regnum per centuriones, domus per seruos velut capta vastarentur. Jam primum vxor ejus, *Boudicea*, verberibus affecta, et filiae stupro violatae sunt. Praecipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, auitis bonis exuuntur, et propinqui Regis inter mancipia habentur. Qua contumelia et metu grauiorum, (quando in formam prouinciae cesserant,) rapiunt arma, commotis ad rebellionem Trinobantibus, et qui alii nondum seruitio facti, resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerunt, acerrimo in veteranos odio, quippe in coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris, captiuos, servos, appellando, fouentibus impotentiam veteranorum militibus, similitudine vitae et spe eiusdem licentiae. *s*) His atque talibus inuicem instincti, *Boudicea* duce, (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumsere vniuersi bellum, ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis ipsam Coloniam (Camulodunum) inuasere, vt sedem seruitutis, nec vllum saeuitiae genus omisit ira et victoria. *t*) Romani Sociique ibi caesi: cetera impetu direpta, aut incensa sunt: templum, in quo se miles conglobauerat, biduo obsessum expugnatumque. Victor Britannus *Petilio Cereali*, Legato Legionis IX, in subsidium aduentanti obuius, fudit legionem, et, quod peditum, interfecit. *Londinium*, cognomento quidem Coloniae non insigne,

insigne, sed copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre pariter expugnatum. *Ad septuaginta millia ciuium et sociorum memoratis locis cecidisse constitit.* u) Accepta haec grauis clades in Britannia CAESONIO PAETO, PETRONIO TURPILIANO COSS. a. 61. Nisi SUETONIUS PAULLINUS, eo cognito prouinciae motu, propere subuenisset, amissa Britannia foret, quam vnius praelii fortuna veteri patientiae restituit. SUETONIO quarta decima Legio cum vexillariis vicesimanis et e proximis auxiliares, decem fere millia armatorum erant. Hisce copiis hostes aggressus claram et antiquis victoriis parem laudem reportauit. Cecidere Britannorum octoginta millia, Romanorum militum quadringentis ferme interfectis, nec multo amplius vulneratis. Boudicea vitam veneno finiit. x) Sequenti anno 62. SUETONIUS tradere exercitum PETRONIO TURPILIANO, qui iam consulatu abierat, iubetur. Is non irritato hoste, neque lacessitus, honestum pacis nomen segni otio imposuit, tradiditque prouinciam *Trebellio Maximo*, qui segnior, nullisque castrorum experimentis, prouinciam tenuit, tandemque ob iracundiam militum e Britannia in Germaniam ad Vitellium Imperatorem profugit. VETTIUM BOLANUM a. 69. successorem nactus, qui, manentibus adhuc bellis ciuilibus, placidius praeerat Britanniae, quam feroci prouincia dignum erat. y)

s) TACITUS Annal. L. XIV. C. 29. 30. 31.
t) Vita Agr. C. 16.
u) TACIT. Annal. l. c. Cap. 32. 33. DIO CASSIUS, in plerique hac historia *Taciti* velut interpres, periisse ait μυριάδας ὀκτὼ τῶν τε Ῥωμαίων καὶ τῶν συμμάχων αὐτῶν.
x) TACIT. Annal. l. c. C. 34 — 37.
y) TACIT. l. c. C. 39. Historiarum L. II. C. 65. Vita Agric. C. 8. et 16.

§. V.

Sed vbi cum caetero orbe *Vespasianus* et *Britanniam* accepit, huic prouinciae PETILIUM CERIALEM praefecit. Is terrorem statim intulit

Britannis, *Brigantum* Ciuitatem, quae numerosissima totius prouinciae perhibetur, aggressus. Multa praelia et aliquando non incruenta; magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus, aut bello. Sustinuit curam famamque Cerialis successor, JULIUS FRONTINUS, validamque et pugnacem *Silurum* gentem armis subegit, super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus. Hunc Britanniae statum, has bellorum vices AGRICOLA, quem provinciae huic, adiecto Pontificatus sacerdotio, *Imp.* VESPASIANUS a. 78. praefecerat, media iam aestate transgressus inuenit, cum et milites, velut omissa expeditione, ad securitatem, et hostes ad occasionem verterentur. *Ordouicum* ciuitas, haud multo ante aduentum eius, alam, in finibus suis agentem, prope vniuersam obtriuerat, eoque initio reliquam prouinciam ad bella excitarat. Tum *Agricola*, quanquam transacta aestas, ire obuiam discrimini statuit, contractisque legionum vexillis et modica auxiliarium manu *Ordouices* aggressus est, atque vniuersam prope gentem deleuit. *Monam* insulam, quae a PAVLLINO expugnata, interea defecerat, per lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi vsus, ita repente inuasit, vt obstupefacti hostes, qui classem, qui naues, qui mare exspectabant, nil arduum aut inuictum crediderint sic ad bellum venientibus, et petita pace insulam dediderint. A. 79. *Agricola* multas ciuitates, quae in illum diem ex aequo egerant, eo adegit, vt datis obsidibus iram posuerint, et praesidiis castellisque circumdatae fuerint, tanta ratione curaque, vt nunquam ab hostibus bello lacessita sint, cum alias novae partes, prouinciae Rom. adiectae, crebro a barbaris tentarentur, si forte recipere possent. *Tertius* expeditionum annus (aer. D. 80.) imperante TITO, qui patri VESPASIANO successerat, nouas gentes aperuit, vastatis vsque *ad Taum*, fluuium, hodie *Twede* (qui aestuarium *Taum* facit,) nationibus, qua formidine territi hostes, quanquam conflictatum saeuis tempestatibus exercitum lacessere non ausi, ponendisque insuper castellis spatium fuit. *Quarta* aestas (a. aer. D. 81.

D. 81.) obtinendis, quae percurrerat, insumta, ita quidem, vt quae celeri quodam virtutis et victoriae cursu subegerat, eorum annuae morae continua possessione ius populi Romani fundaret, *praesidiisque obsirmaret*, quem in finem angustum illud terrarum spatium, quo *Glota* et *Bodotria*, fluuii, diuersi maris aestu per immensum reuecti, dirimuntur, castellis muniuit, sicque omnem citeriorem regionem, quae Romanis parebat, ab insultibus immunem reddidit, summotis velut in aliam insulam hostibus. *Quinto* expeditionum anno (a. aer. D. 82.) naue prima transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis praeliis domuit, eamque partem Britanniae, quae Hiberniam adspicit, copiis instruxit. Aestate (a. 83.) qua *sextum* officii annum inchoabat, amplas ciuitates, trans Bodotriam sitas, non terrestri exercitu modo, sed classe quoque, qua portus exploraret, aggressus est. Classis, ab *Agricola* primum in partem virium assumta, sequebatur egregia specie, cum simul terra, simul mari, bellum impingeretur, ac saepe iisdem castris pedes, equesque, et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent. Britannos visa classis obstupefaciebat, tanquam, aperto maris sui secreto, vltimum victis perfugium clauderetur. Ad manus et arma conuersi Caledoniam incolentes populi pluribus agminibus Romanis obuiam ibant: quare *Agricola*, ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diuiso et ipse in tres partes exercitu incessit; quod vbi cognitum hosti, mutato repente consilio, vniuersi nonam legionem nocte aggressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus, irrupere; iamque in ipsis castris pugnabant, cum *Agricola*, iter hostium ab exploratoribus edoctus, velocissimos equitum peditumque tergis pugnantium assultare iubet: Atrox inde in ipsis portarum angustiis praelium, donec pulsi hostes, quos, nisi paludes et siluae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. Exercitus Romanorum, victoria hac ferox, *penetrandam Caledoniam, inueniendumque tandem Britanniae terminum continuo praeliorum cursu fremebat.* Rem vero ipsam Agricola in sequentem annum distulit.

Septima igitur aestate (a. 84.) Agricola, praemissa classe, quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem *Grampium* (hodie Granzbaine) peruenit, quem iam super triginta millia armatorum hostium, *Galgaco* Duce, insederant. Statim ibi ad arma discursum, et ad noctem vsque pugnatum, caesa hostium *ad decem millia*, Romanorum cecidere *trecenti quadraginta*. Proximus dies faciem victoriae laetius aperuit, vastum vbique silentium, deserti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obuius; quibus in omnem terram dimissis, neque vsquam conglobari hostes comperientibus, *Agricola* exercitum in fines *Horestorum* deduxit, ibique, acceptis obsidibus, praefecto classis *circumuehi Britanniam* praecepit; ipse pedites atque equites lento itinere, quo nouarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locauit; *z)* simul classis, (cujus ope *Agricola primus Romanorum certo cognouit, Britanniam vndique mari circumfusam esse, simulque incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, inuenit,*) secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, vnde proximo latere Britanniae lecto omni redierat. *a)*

z) Vit. Agric. C. 17 — 38.
a) L. c C. 10. et 38. DIO CASSIVS L. LXVI. in Xiphilini Epitome de Julio Agricola: πρῶτος Ῥωμαίων ἔγνω πεῖθ, ὅτι ἡ Βριττανία περίβρυτός ἐστι.

§. VI.

Hunc rerum cursum, quanquam nulla verborum iactantia epistolis *Agricolae* auctum, *Imp.* DOMITIANVS fronte laetus, pectore anxius accepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum de Germania triumphum, emtis per commercia, quorum habitus et crines in captiuorum speciem formarentur; at nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hostium caesis, celebrari.

Igitur

Igitur *triumphalia* quidem *ornamenta, et quicquid pro triumpho datur*, decerni Agricolae, ipſum vero tradere prouinciam SALLVSTIO ſecundo, Romamque redire, iubet, vbi ſexto et quinquageſimo aetatis anno exceſſit, veneno, vt rumor erat, interceptus. *b*) Patet ex hiſce, DOMITIANO *imperante, omnem Britanniam, ne Caledonia quidem excepta, ab Agricola* deuictam fuiſſe; ſed quia non videbatur operae pretium, feroces iſtos Britanniae ſeptentrionalis populos, vltra *Glotam* et *Bodotriam* ſitos, terrarum Britannicarum extremos, inter ſinus et ſaxa et ſiluas commorantes, ita ſubigere, vt parerent Romanis, terminum Romanae in Britannia ditionis conſtituebat anguſtum illud terrarum ſpatium, inter Glotae et Bodotriae aeſtuaria ſitum, praeſidiisque firmatum, quae vltra erant, *Caledoniis* relicta ſunt. Nata hinc diſtinctio Britanniae in *Romanam* et *Barbaram*. Britannos, Romanis ſubiectos, pacis artibus vt emolliret, ſeruitutemque tolerabiliorem redderet, omnem dedit operam Agricola: Animorum enim prouinciae prudens, ſimulque per aliena experimenta edoctus, parum profici armis, ſi durius ſubiecti tractarentur, et iniuriae ſequerentur, cauſas quoque rebellionis ſtatuit excidere, quare auaritiam injuriasque comitum, quorum opera Praeſides in prouinciae adminiſtratione vtebantur, quouis modo coërcuit; frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum molliuit, circumciſis, quae, in quaeſtum reperta, ipſo tributo grauius tolerabantur. Has injurias cum ab initio ſtatim comprimeret Agricola, egregiam paci famam circumdedit, quae vel incuria vel tolerantia priorum Legatorum haud minus, quam bellum, timebatur. Porro vt Britanni, antea diſperſi et rudes eoque bello faciles, quieti et otio per voluptates aſſueſcerent, hortatus eſt priuatim, adiuuit publice, vt templa, fora, domus exſtruerent, laudando promtos, et caſtigando ſegnes. Iam vero etiam principum filios liberalibus artibus erudiuit, et ingenia Britannorum Gallorum ſtudiis antetulit; vt, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent. Inde honor Romanis mo-

ribus habitus, paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus et balnea, et conuiuiorum elegantiam; idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars seruitutis esset. c) Hac ratione apud Britannos, Romanis subiectos, segnitia cum otio intrauit, amissa virtute pariter ac libertate; cuius quidem species relinquebatur per hos vel illos reges, in ipsa Britannia Romana superstites, vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, vt haberent instrumenta seruitutis et Reges. d) Haec vero pacis seruitutisque Romanae irritamenta nequaquam impedire potuerunt, quo minus Britannorum multi, libertatis pristinae vindices, septentrionales regiones peterent, et Caledoniis sese miscerent, grauissime ferentes, quod reliqui iugo Romanorum se submitterent, suumque sanguinem dominationi Romanae commodarent. Hinc odium illud acerrimum Caledonios inter et Britannos, Romanis subiectos; hinc perpetua inter barbaram Britanniam et Romanam bella; hinc mutati saepius utriusque Prouinciae termini; hinc sublatum denique, vti in progressu videbimus, Romanorum in Britannia imperium.

b) Vita Agric. C. 36 — 44.
c) L. c. C. 19. 20. 21.
d) L. c. C. 14.

§. VII.

Prima notabilis *Caledoniorum* in Britanniam Romanam *incursio* contigit imperante HADRIANO. Hostes, dirutis castellis, quae Agricola inter Glotae et Bodotriae aestuaria posuerat, Horestorum Damnoniorumque terram longe lateque vastabant, nec recedebant, nisi a. 121. quo ipse Imperator, in Britanniam profectus, eos depellebat. HADRIANVS, qui fines Imperii Rom. in Asia contraxerat, eosdem etiam in Britannia contractiores esse voluit, *vallum per octoginta millia passuum inter Itunae aestuarium et Tinae amnis ostia ducens*, quo Barbaros Romanosque diuideret, omni reliqua terra, inter Glotae et Bodotriae aestuaria et hoc vallum sita, hostibus relicta. e) Auctis hac ratione viribus Caledonii a. 144.

alterum

alterum impetum fecerunt, ſub ANTONINO PIO vallum HADRIANI rumpentes, ipſosque Brigantes ad defectionem ſollicitantes. Miſſus aduerſus rebelles *Lollius Vrbicus*, qui non Brigantes modo ad ſubmiſſionem redegit, ſed et *Caledonios* arctioribus limitibus cohibuit *nouo muro ceſpiticio ab Eſca*, in Eſcia regione *oblique ad Twedae oſtium* (quod TACITVS Taum aeſtuarium vocat) ducto. f) *Tertia* inuaſio contigit *ſub Commodo* a. 183. *Caledoniis per vallum Lollianum* irrumpentibus, mox vero per VLPIVM MARCELLVM profligatis, et in regionem ſuam redire coactis. g) *Quarta* accidit ſub Imp. SEVERO. Occaſionem praebebat CLODII ALBINI, Britanniae Praeſidis, qui mortuo JVLIANO imperium captabat, cruenta clades *apud Lugdunum*, qua ſimul optima et valentiſſima pars exercitus Britannici a. 198. occubuit. Poſt reportatam a SEVERO inſignem hanc victoriam, Britannia Romana SEVERVM quidem Imperatorem agnouit, is vero, ne in poſterum Praefectus Britanniae ad concupiſcendum Imperium ſollicitari queat, Britanniam Romanam, vnam hactenus ſub vno Praeſide Prouinciam, in duas diuiſit, citeriorem quippe et vlteriorem, a duobus Praeſidibus, quos ἡγεμόνας Graeci vocant, ſeparatim adminiſtrandas. h) Vix diuiſio haec innotuerat, cum Caledonii *Virium Lupum*, vlterioris Britanniae Praeſidem, aggrediuntur, et ad pacem, magna pecunniae ſumma redimendam, cogunt. A. 207. *iidem* redeunt regionemque omnem incurſionibus et depopulationibus deuaſtant; cumque Praeſidis vires repellendis hoſtibus non ſufficiebant, ipſe *Imp.* SEVERVS, ſua natura gloriae appetentior, cum exercitu in Britanniam proficiſcitur. Hoſtes inopinato Principis aduentu perculſi auditoque tantas contra ſe copias comparari, per Legatos pacem petunt, quos, moras de induſtria nectens, re infecta, domum dimittit, et quae bello vſui ſunt, magno apparatu comparat. Tunc hoſtes aggreditur, vsque ad interiora Caledoniae penetrat, omnia igne et ferro vaſtat, ſed, per tumultuarios crebrosque hoſtium inſultus, maiorem quoque exercitus partem

tem, quinquaginta millia armatorum, amittit: Facilis quippe erat ex fuga barbaris receptus, inter ſiluas ac paludes, et loca ipſis notiſſima deliteſcentibus. *i)* Cum igitur ſine perpetuo milite plurimisque praeſidiis *Caledoniam* coerceri non poſſe videret SEVERVS, a Britannia Romana arcere hoſtes et excludere, conſultum duxit. *Tertium* itaque, eumque in ſeptentrionem vltimum, *murum* pariter, vt videtur, ceſpiticium ducit, inter Glotae et Bodotriae aeſtuaria, per triginta duo millia paſſuum a mari ad mare. *k)*

e) SPARTIANVS in HADRIANO C. II. Murum, inquit, per octoginta millia paſſuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque diuideret. Addit idem C. 12. Per ea tempora et alias frequenter in plurimis locis, in quibus Barbari non fluminibus ſed limitibus diuiduntur, ſtipitibus magnis, in modum muralis ſepis, funditus iactis atque connexis, Barbaros ſeparauit.

f) CAPITOLINVS in ANTONINO PIO C. 5. Britannos per Lollium Vrbicum Legatum vicit, alio muro ceſpiticio ſummotis Barbaris, ducto. De *muro Lollii* ejusque loco confer CELLARIVM in Geogr. Antiq. T. I. L. II. C. IV. p. 325.

g) DIO CASSIVS L. LXXII. C. 8.

h) HERODIANVS L. III. C. 8 Διοικήσας τὰ κατὰ τὴν Βρεττανίαν, καὶ διελὼν εἰς δύο ἡγεμονίας τὴν τοῦ ἔθνους ἐξουσίαν.

i) DIO CASSIVS L. LXXVI. p 867. HERODIAN. L. III. C. 14.

k) SPARTIANVS in Vita SEVERI C. 18. Britanniam, quod maximum imperii eius decus eſt, muro per transuerſam inſulam ducto, vtrinque ad finem Oceani muniuit. EVTROPIVS in Hiſt. Rom. Breuiario L. VIII. in SEVERO: Vt receptas, inquit, Prouincias omni ſecuritate muniret, Vallum per XXXII. millia paſſuum a mari ad mare deduxit. Inepte *centenarium* numerum appoſuit OROSIVS Hiſt. L. VII. C. 17. de SEVERO Imp. Magnam foſſam firmiſſimumque vallum, crebris inſuper turribus communitum, per *centum et triginta millia paſſuum* a mari ad mare deduxit. Tanto nempe ſpatio nec maria in ſeptentrionali inſula diſtant, nec conſultum eſt, tanti laboris opus ſuſcipere, vbi non deſint breuiora interualla, quibus munitis excludi hoſtes poſſint. In loco huius valli errant CAMBDENVS, VSSERIVS, RAPINVS, aliique, vallum hoc SEVERI inter *Tinae oſtium* et *Itunae aeſtuarium* (*Tyne* et *Sollway Frith*) ponentes, cum longitudo ab EVTROPIO memorata, alium locum non admittat, niſi Iſthmum inter *Frithſ of Forth et Clyde* i. e *Bodotriae* et *Glotae* (nunc Clyd vel Clude in Scotia) aeſtuaria. Vid. Allgemeine Welt-Hiſt. XIII Th. p. 477. et 478. Beda Hiſt. Eccleſ. Gentis Angl. L. I. C. V. de

de SEVERO: Receptam partem insulae a ceteris indomitis gentibus non *muro*, vti quidam existimant, sed *vallo* distinguendum putauit. Murus enim de lapidibus, vallum vero, quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus, quibus circumcisis e terra velut murus exstruitur altus super terram, ita, vt in ante sit fossa, de qua leuati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortissimis praefiguntur.

§. VIII.

A SEVERI morte vsque ad CONSTANTINI M. tempora minus frequens est apud Scriptores rerum Britannicarum mentio, et magis ab intestinis motibus, quam Caledoniorum incursionibus Prouincia vexata fuisse videtur. Sub Imp. PROBO Praeses Prouinciae rebellionem inouit, quae vero, interfecto Praeside perduelli, mox sopita fuit. Idem Imperator VANDALOS, quos sibi subiecit, in Britanniam misit, qui sedes in hac insula nacti, quoties deinde seditionem aliquis moliretur, vtiles fuerunt Imperatori. *l)* Sub DIOCLETIANO CARAUSIVS, Menapiae ciuis, vilissime natus, quia gubernandi gnarus habebatur, parandae classi, et propulsandis *Germanis*, *Francis* et *Saxonibus*, maria infestantibus, praefectus est Cum vero se ipsum modo ditaret, et praedam neque prouincialibus integram redderet, neque Imperatoribus mitteret, metu Maximiniani, a quo se caedi jussum compererat, Purpuram sumsit, et Britanniam ab a. 288. vsque ad annum 298. sibi vindicavit, quo anno CONSTANTINVS CHLORVS, Caesar, Prouinciam Imp Rom. restituit, *m)* paucis abhinc annis, cum expeditionem in *Caledonios* aliosque *Pictos*, (qui prima heic vice *Caledoniis* iunguntur ab EVMENIO in Panegyrico CONSTANTIO dicto, Cap. XI.) susceptuus erat, Eboraci mortuus est. CONSTANTINUS M. vti omni Imperio Romano, ita et *Britanniae Romanae liberum religionis Christianae exercitium* permisit, nouos ibi *magistratus nempe Comitem Britanniae*, *Ducem Britanniae*, *et Comitem littoris Saxonici*, qui piratas Saxones a finibus arceret,) creavit, novam denique ipsius regionis diuisionem induxit, in quatuor Prouincias *primam*, *secundam*, *maximam Caesariensem* et *Flauiam Caesarien.*

sariensem omnem, quae Romanis parebat, Britanniam discernens, *n*) *quinta prouincia, Valentia*, sub VALENTINIANO demum addita est. Sub hoc sc. Imperatore a. 367. *Picti in duas eo tempore gentes diuisi, Dicalidonos et Vecturiones, itidemque Attacoti, bellicosa hominum natio, et Scoti per diuersa vagantes multa populabantur*, o) ruptoque SEVERI vallo, et interfectis *Nectarido*, *Comite Littoris Saxonici*, et *Fullofaude*, *Duce Britanniae*, septentrionalem Britanniae Romanae partem sibi subiiciebant. Franci item et Saxones, Britannis confines, quo quisque erumpere potuit terra et mari, praedis acerbis incendiisque et captiuorum funeribus hominum Britannos violabant. *p*) Hostibus hisce barbara feritate saeuientibus opposuit VALENTINIANUS I. THEODOSIUM senem, THEODOSII M. patrem, virum bello egregium, qui bellis naualibus Saxones deuicit, magnam Pictorum Scotorumque vim occidit, eosque ad paludes suas repulit, et omnem Prouinciam, quam barbari obtinuerunt, Romanis restituit, quae in honorem Imper. VALENTIS VALENTIA nominata est. Paucorum annorum interuallo *Picti* et *Scoti* recuperatis viribus incursum moliuntur in Britanniam, quare *Gratianus* Imp. MAXIMVM, natione Hispanum, Senioris THEODOSII in recuperanda Britannia commilitonem, Insulae praefecit. Is *Scotos Pictorum* ope, quos amicitiae specie fallit, ex Insula pellit, et in Hiberniam abire cogit. Pulsis iam Scotis in ipsos *Pictos* arma vertere conatur, mox vero mutato consilio eorum amicitiam quaerit: Moleste quippe ferens THEODOSIVM M. a. 379. a Gratiano Imperio admotum, se vero exclusum esse, exercitus Britannicos, temeritati magis, quam ceteri omnes, indulgentes ad *Gratiani* odium irritat. Illi facile commoti MAXIMVM *Imperatorem* salutant, cinctumque Purpura et Diademate, transmisso nauibus Oceano, ad Rheni ostia deducunt, approbantibus, qui in Germania erant, exercitibus istam MAXIMI *Imperatoriam* dignitatem. *Gratianus* parat se ad conferendum cum MAXIMO praelium, quinque dies velitationibus consumuntur, sed cum successiue maxima exercitus pars paullatim ad Maximi partes

tes transiret, Gratianus desperatis rebus sumtisque trecentis equitibus pleno cursu versus Alpes tendit, *Lugduni* vero, pontem transiturus, ab Andragathio, quem Maximus Magistrum Equitum fecerat, apprehenditur et occiditur a. 383. MAXIMVS, Imperatoria dignitate quam THEODOSIVS admittebat, et Britannia Galliaque non contentus, de VALENTINIANO regno deiiciendo cogitat, maximaque celeritate Italiam ingressus Aquileiam copias ducit, et VALENTINIANVM II. Thessalonicam abire cogit. Tandem THEODOSIVS, VALENTINIANVM Imperio restituturus a. 388. per Pannoniam portasque Apenninarum Alpium progressus, incautos nec tale quid opinantes Maximi milites adoritur, et, cum pars quaedam exercitus celerrimo impetu ad Aquileiae muros accessisset, aditumque vi sibi aperuisset, *Maximus* solio deturbatur, habituque imperatorio spoliatus interficitur. Maximi filius *Victor*, quem Caesaris dignitate ornatum apud Transalpinas gentes Pater reliquerat, per Argobastum interficitur. Hunc Maximus vitae pariter ac tyrannidis habuit exitum. Ipsa vero Britannia Romana durante hac rebellione, insignem iacturam passa est, praecipuo robore, flore inuentutis, partim interfecto, partem nouas in Armorica sedes capiente.

l) ZOSIMVS L. I.
m) *Aurel. Victor* in Caesar C. 39. EVTROPIVS L. IX. C. 13. EVMENIVS Orat. inter Paneg. IV. C. 13. 16. 17.
n) ZOSIMVS L. II. *Dn.* CANGE Gloss. p. 1074.
o) AMMIANVS MARCELLINVS d. XXVII. C. 18.
p) Idem L. c.
q) ZOSIMVS L. IV.

§. IX.

Diuiso post mortem THEODOSII M. a. 395. Imperio Romano inter *Arcadium*, qui Orientales, et *Honorium*, qui Occidentales Prouincias obtinebat, nouam *Picti* Britanniae Rom. minitantur inuasionem. VICTORINVS, Praefecti Britanniae Vicarius a Sti-

licone, Tutore Honorii, cum Legione in Britanniam missus, hostes à finibus Britanniae Rom. arcet, iisdemque noui Regis electionem insolentius interdicit. Picti vero Scotos, sub Maximo in Hiberniam repulsos, in subsidium vocant, qui sub *Fergo*, quem communem sibi eligunt Regem, in Britanniam Barbaram redeunt. Sub idem tempus VICTORINVS cum Legione, quam secum in Britanniam adduxerat, auocatur, vt Italiae contra Gothorum insultus succurreret. Mox *Picti Scotique* Britanniam praesidiis orbatam aggrediuntur, vexantque miserrime; cumque frustra noua ab HONORIO auxilia peterentur, a. 407. reliqui in Britannia milites, seditione concitata, *Marcum* quendam in regio solio collocant, eique tanquam rerum in iis locis potienti parent. Eo deinde necato, veluti moribus illorum non respondente, *Gratianum* in medium producunt, et purpura coronaque cinctum ceu Principem obseruantes comitantur. Verum et huic improbato post quatuor menses imperium abrogant, vitamque eripiunt, CONSTANTINO rerum summa tradita. Is *Pictos Scotosque* e Britanniae finibus eiecit, repulsosque ad pacem coëgit; sed hac fortuna sua non contentus maiora audet, et in Gallias transit, omnesque ibi exercitus ad Alpes vsque, Galliam atque Italiam disterminantes, sibi conciliat. Mittit quoque, vt imperium tutius possidere queat, Legatos ad Honorium, veniam poscens, quod imperium delatum accepisset. Non enim id se sua sponte petiisse, sed a militibus adhibita vi fuisse coactum, cui postulato Honorius propinquorum, qui à tyranno in vinculis detinebantur, rationem habens, non assensus modo est, sed et Imperatoriam vestem ei misit. Cum vero isti propinqui iam ante Legationem iugulati essent, et CONSTANTINVS promissis non staret a. 411. Tyrannus per Honorii Duces, CONSTANTIVM et VLPHILAM apud Arelatense oppidum vincitur, capitur, et post triennium inuasae tyrannidis occiditur. *r*) Post caedem CONSTANTINI tantum aberat, vt *Honorius*, Barbarorum incursibus vbiuis locorum vexatus, de recuperanda Britannia cogitaret, vt potius de iure in istam

Prouin-

Prouinciam ſponte ceſſerit, litterasque ad ciuitates Britannicas ſcripſerit, quibus eas hortabatur, vt ſibi ipſi cauerent. s) Ipſa vero haec libertatis priſtinae reſtitutio durior videbatur Britannis, quam facta olim priuatio: quia omne ius petendi a Romanis auxilia iſta Honorii renunciatione ceſſabat; quare *Pictorum Scotorumque* iteratis incurſionibus denuo vexati, ad gratiam VALENTINIANI III. confugerunt, auxilia Romanorum contra hoſtes implorantes, nouumque Imperatori obſequium promittentes. Miſit VALENTINIANVS vltimo auxilio Legionem in Britanniam, Gallione Duce, cuius ope hoſtes e Valentia, quam occuparunt, eiecti, et trans Vallum SEVERI in patriam ſuam repulſi fuerunt; mox vero, reſtitutis tantiſper rebus, haec quoque Legio in Italiam fuit reuocata; tum Romani, ante vltimum ex Inſula diſceſſum, denunciauere Britannis: „*Non ſe vltra ob eorum defenſionem* „*tam laborioſis expeditionibus fatigari poſſe*: ipſos potius monent arma corripere, et certandi cum hoſtibus ſtudium ſubire. Quin „etiam, quod et hoc ſociis aliquid commodi allaturum putabant, „murum a mari ad mare, recto tramite inter vrbes, quae ibidem ob „metum hoſtium factae fuerunt, vbi et SEVERVS quondam vallum „fecerat, firmo de lapide locarunt; quem videlicet murum ſumtu publico priuatoque, adiuncta ſecum Britannorum manu, conſtruebant, octo pedes latum et duodecim altum, recta ab Oriente in Occaſum linea, vt vsque hodie intuentibus clarum eſt. t) Hac ratione Romanorum in Britannos imperium, quod A. Aer. D. 43. ab Imperatore CLAVDIO inchoatum erat, anno circiter 427. ſub Imp. VALENTINIANO III. finitum eſt.

r) ZOSIMVS L. VI. *Proſper* in Chron. ad a. 411.

s) ZOSIMVS L. VI.

t) GILDAS dictus ſapiens de Excidio et Conqueſtu Britanniae C. 18. BEDA in Hiſt. Eccles. L. I. C. 12.

§. X.

Post enarratas hactenus *Romanorum in Britanniam expeditiones* pergimus iam ad *Saxonum* in eandem Insulam *Transitum*, resque ibidem felicissime gestas. Ordinem vero euentuum vt obseruemus, paucis breue illud et infelix Libertatis Britannicae interstitium praemittemus. *Britanni*, ante subiectionem Romanam populus ferox et bellicosus, sub iugo Romano ita emolliti fuerunt, vt cum libertate etiam virtutem amisisse viderentur; quare restituta illis libertas maius damnum intulit, quam longa sub Romanis seruitus. Praecipuum militum robur, vti supra monuimus, ab Anti-Caesaribus, MAXIMO et CONSTANTINO in Gallias abductum erat; et superstes iuuentutis flos arma tractare dedicerat. Qui antea sub Romanis in vnum coaluerunt populum Britanni, iam in plures gentes diuidebantur, quarum singulae Regulos sibi eligebant, qui non modo in commune non consulebant, sed factionibus quoque et studiis trahebantur. Cum igitur ad propulsandum commune periculum, quod statim post discessum Romanorum a Pictis Scotisque, sub vno Rege iunctis, imminebat, neque miles exercitatus aderat, neque totius nationis vnio: Inueterati hostes, sub *Frego* Rege, murum lapideum, vix antea inter Glotae et Bodotriae aestuaria erectum, aggrediuntur, et quia Romano milite munitus non erat, facile perrumpunt, regionemque Britannorum longe lateque deuastant. Imbelles Britanni pacem ab hostibus redimunt, integramque Prouinciam *Valentiam*, quae inter lapideum murum et Tinae ostium Itunaeque aestuarium interiacet, victoribus cedunt. Hoc primo belli praemio ferociores facti Picti Scotique, post paucos annos ad arma redeunt, et sub Rege EVGENIO, qui mortuo patri *Frego* successerat, Tinam amnem transeunt, et funestam cladem inferunt Britannis, caesis quindecim millibus armatorum. Deuicti pacem submisse petunt, omnemque terram, quae Humbro versus septentrionem iacet, cedere victoribus coguntur, sed nondum satiata hisce victimis hostium crudelitas

litas. Frangunt mox pacem, Humbrum transeunt, late populantur, diraque fame, quae tum ad reliqua mala accesserat, et insignem incolarum numerum consumserat, abutuntur, ad gentem Britannicam, et bello et fame valde diminutam, penitus exstirpandam. Ad extrema redacti a. 446. vltima vice Romanorum auxilia humillime petunt, atque ad Aetii, qui tum copiis Romanis in Gallia praeerat, misericordiam confugiunt. *Ad hunc Patricium*, qui isto anno *tertium* cum Symmacho consulatum gessit, *pauperculae* (vt BEDA ait) *Britonum reliquiae mittunt epistolam, cuius hoc principium est: Aetio ter Consuli gemitus Britannorum. Et in processu epistolae ita calamitates suas explicant: Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros: inter haec oriuntur duo genera funerum: aut iugulamur aut mergimur.* u) Verum hi *gemitus* nil auxilii ab *Aetio* impetrarunt, qui auertendo, quod ab Attila, Hunnorum Rege, imminere videbatur, periculo occupatus erat. x) Omni igitur externa ope destituti Britanni conuentum singulorum insulae populorum agunt, et in vno quodam Rege, cui omnes reliqui pareant, eligendo conueniunt, vt ita, quae hactenus dispersae erant vires, vnitae sub vnius regimine fortius resistere possint hostibus. Nec id quidem male; sed dum VORTIGERNVM, Damnoniorum Regulum, virum crudelem et ambitiosum, eodem anno 446 Monarcham eligunt, remedium ipso morbo peius extitit. Licet enim VORTIGERNVS vnitis Britanniae viribus Pictos Scotosque ad tempus repulserit, is tamen Princeps mox suae magis, quam Britanniae saluti, prospiciens de vocandis in subsidium SAXONIBVS primus auctor fuit, sicque, vt mox euidentius rerum exitus docebat, pessimum et exitiale consilium dedit. y)

u) BEDA Hist. Eccles. Angl. L. I. C. 13.

x) GILDAS in Excidio Britanniae C. 6. p. 118. VSSERIVS in Eccles. Brit. Antiquit. p. 1204.

y) BEDA l. c. C. 14. Initum est consilium quid agendum, vbi quaerendum esset praesidium ad euitandas vel repellendas tam feras tamque creberrimas gentium Aquilonarium irruptiones: placuitque omnibus cum suo Rege VORTIGERNO

TIGERNO, vt Saxoniam gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent, quod Domini nutu dispositum esse constat, vt veniret contra improbos malum, sicut euidentius rerum exitus probauit.

§. XI.

SAXONES, Chersonesi Cimbricae incolas, a cultellis siue sicis, quibus vtebantur, in antiqua eorum lingua SAHS dictis, nomen nactos *z)* primus memorat CLAVDIVS PTOLEMÆVS. *a)* Eorum *Cimbrorum* reliquiae fuisse videntur, qui, Italiam inuadentes, a Mario Catuloque deleti sunt. TACITVS eodem loco, quo PTOLEMÆVS SAXONES ponit, *Fosos* memorat, *Anglosque Fosis* vicinos ponit; *b)* quare CLVVERIO *Fosi* ipsi SAXONES sunt, quum fieri haud potuerit, vt tam breui interuallo, (scripsit enim PTOLEMÆVS LX. circiter annis post TACITVM) *Fosorum* Gens perierit, et noua SAXONVM surrexerit. Primum Romanis infestos se praebuere SAXONES, cum CARAUSIUS ab Imp. DIOCLETIANO ad repellendos a littore Britannico SAXONES piratas missus est, *c)* quibus postea eo melius coercendis CONSTANTINUS *M. Comitem Littoris Saxonici* opposuit. *d)* Sed nihilo minus iidem, sub VALENTINIANO I. *Galliam* misere vexarunt, ipsam quoque *Britanniam*, vicinasque Insulas, *Orcadas*, vastantes. *e)* Repetiere inuasionem in Britanniam *sub Honorio*, quare CLAUDIANUS insullam istam introducit petentem pro *Stilicone* consulatum, ob repulsos a littore SAXONES. *f)* Hosce SAXONES, Piratas, ipsis Britannis antea inimicos, vicinarumque Prouinciarum, quae mari germanico cinguntur, Frisiae, Hollandiae, Seelandiaeque tum dominos, VORTIGERNUS, siue missis legatis solenniter in auxilium contra Pictos Scotosque vocauit, quae communior sententia est, *g)* siue, sponte et casu aduenientes, recepit. *h)*

z) Apud NENNIUM in *Hist. Britonum Hengistus*, cum ad inferendam Britannis necem suos incitaret, his eos verbis allocutus est: NIMEAD EVRE SAHES. Et WITICHINDUS Annal. Lt I. ait: Fuerunt qui ab hoc facinore

facinore nomen illis inditum tradunt. Cultelli enim nostra lingua SAHS dicuntur, ideoque *Saxones* nuncupatos, quia cultellis tantam multitudinem fudissent.

a) Geograph. L. II. C. 2. Post hos Chauci, qui appellantur parui, vsque ad fluuium Visurgim: post hos Chauci, maiores dicti, vsque ad Albim flupium. Deinde supra dorsum Cimbricae Chersonesi *Saxones*. STEPHANUS BYZANTINUS p. 586. *Saxones*, inquit, gens habitans in Cimbrica Chersoneso.

b) TACITUS de Mor. Germ. C. 36. Tracti ruina Cheruscorum & *Fosi*, contermina gens, aduersarum rerum ex aequo socii, cum in secundis minores fuissent. Eundem Germaniae situm proximi Oceano Cimbri tenent, parua nunc ciuitas, sed gloria ingens. Idem *Tacitus*, post Albim supra Cimbros *Reudignos*, *Aviones*, *Anglos*, &c. ponit C. 40.

c) Eutropius L. IX. C. 17.

d) Sidonius Apollin. L. VIII. Ep. 6. Quot Saxones remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas. Ita simul omnes imperant, parent, docent, discunt latrocinari.

e) AMMIANUS MARCELLINUS Lib. XVII, cap. 8. *Franci & Saxones*, quo quisque erumpere potuit terra & mari, prædis acerbis incendiisque violabant. CLAUDIANUS, de IV. Conf. Honorii, vbi *Theodosii Senis* res gestas memorat, inter alia ponit:

Maduerunt Saxone fuso Orcades.

f) De *Laudibus Stiliconis*, Lib. II. v. 255 — 260.

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Muniuit Stilicho, totam cum Scotus Iernam
Mouit, & infesto spumauit remige Tethys,
Illius effectum curis, ne bella timerem
Scotica, nec Pictum tremerem, nec littore toto
Prospicerem dubiis venientem Saxona velis.

g) BEDA, loco supra citato, in §. X. not. y. *vocatos* fuisse *Saxones* dicit. WITICHINDUS Annal. Lib. I. p. 630 orationem refert, quam *Visegisto, Hengisti et Horsi* patri, dixerint Legati Britannici.

h) NENNIUS, scriptor *Beda* antiquior, dicit, ipsos ex patria in exilium fuisse pulsos, dum *Histor.* cap. 28. ait: *Interea venerunt tres Cyulæ, a Germania in exilium pulsæ, in quibus erant* HORST et HENGIST, *qui ipsi fratres erant.* Ipse numerus nauium sententiam Nennii probare videtur. Nam, si publico nomine inuitati atque ad auxilium vocati aduenissent HORST et HENGIST, dubium non est, quin majorem militum copiam pluribus navibus adduxissent. Eandem sententiam confirmat GILDAS, qui in Libro de Excidio et Conquestu Britanniae, cap. 23 ita: Tum omnes consiliarii vna cum superbo tyranno caecantur, adinuenientes tale praesidium, imo excidium

patriae, vt ferocissimi illi nefandi nominis Saxones, Deo hominibusque invisi, quasi in caulas lupi, in insulam ad retundendas aquilonares gentes intromitterentur. et mox: Tum erumpens grex catulorum cubili leaenae barbariae, tribus, vt lingua ejus exprimitur, Cyulis, vt nostra lingua exprimitur, longis nauibus.

§. XII.

Expeditionis Saxonum Britannicae initium cadit in annum 449. *i*) quo HENGISTUS et HORSTUS, siue vocati, siue sponte, tribus, vt diximus, Cyulis, paruaque militum manu, mille sc. et quingentis Saxonibus, in Britanniam appulerunt, in loco insulae *Thanet*, qui *Ypwenes fleot* dicitur. Humaniter a Rege VORTIGERNO excepti mox sese contra Pictos Scotosque, qui Lindesiam regionem tum deuastabant, accingunt, hostes repetitis vicibus in fugam dant, atque in regiones suas redire cogunt, victoriae praemium Insulam Thanet et districtum quendum prope Lindum, vbi primus cum hostibus conflictus erat, reportantes. Mox fertilitate et amoenitate regionis inuitati, de ipsa Britannia occupanda consilium capiunt, veniamque, vt sibi plures e Germania copiae transmitterentur, a Rege VORTIGERNO et petunt et nanciscuntur. Accessere igitur sequenti statim anno 450. *quinque millia Saxonum*, quos Escus, HENGISTI filius sedecim nauibus aduehebat. His aliisque copiis, successiue transuectis, roborati HENGISTUS et HORSTUS *Cantii Regionem* a VORTIGERNO accipiunt, et contra Britannos, qui sub VORTIMERE, VORTIGERNI, quem throno remouerant, filio, arma iam in Saxones vertebant, fortiter tuentur. Occiso in bello fratre Horsto, HENGISTUS Regis titulum a. 455. assumit, *primi in Britannia Saxonici regni*, *Cantii* quippe, *conditor*. His HENGISTI iniuriis, (qui, cum *Pictis Scotisque*, quos expugnaturus venerat, iam pacem, imo foedus inierat, occupatoque Cantii regno limites extensurus, vicinas quoque prouincias inuadebat,) lacessiti Britanni AMBROSIUM AURELIANUM, regii stemmatis Principem, qui in aula ALDROENI,

NI, Armoricae Regis, degebat, in subsidium vocant, eumque, cum *decem millibus armatorum*, a. 458. in Britanniam transuectum, a. 465. Regem Britanniae constituunt. HENGISTUS, Cantii Rex, vim vi oppositurus, nouas pariter copias e fortissimis Germaniae septentrionalis populis, *Saxonibus*, *Anglis Vitisque* siue *Iutis* in auxilium vocat, *k*) qui, successiue in Britanniam transuecti, vnam post alteram prouinciam occuparunt, et plura regna condiderunt. Eorum inter Duces, ELLA eminet, *Saxonum Dux*, qui a. 477. ingentem Saxonum manum in meridionalem Britanniae regionem adduxit, sedesque ibi fixas posuit; ab AMBROSIO quidem a. 487. deuictus, mox vero viribus ita auctus, vt *secundum* in Britannia *Regnum* erigeret, *Sussexiae*, i. e. Saxoniae meridionalis, Rex a. 491. creatus. *Tertium*, *Westsexiae*, siue Saxoniae Occidentalis, Regnum fundauit CENRICVS, qui Britanniam a. 495. ingressus, post deuictum a. 508. *Ambrosium*, qui interea *Imperatoris* Britanniae titulum assumserat, paremque Victoriam, ab ARTHURE, *Ambrosii* in Britanniae regno successore, a. 519. reportam, solenni ritu Wincestriae, eodem anno, *Rex Westsexiae* coronatus est. *l*) OCTA, tertius Cantii Rex, nepos quippe HENGISTI, a. 488. mortui, et filius ESCI, a. 512. defuncti, ERKENWINUM, Virum Principem, pariterque, vti reliqui Reges, e familia Odini oriundum, quibusdam Prouinciis, Regno Cantii subiectis praefecerat. Is imbecillitate OCTAE Regis abusus, easdem, quibus praeerat, Prouincias sibi subiecit, et anno circiter 527. *Rex creatus*, *quartum Regnum*, *Essexiae*, s. *Saxoniae Orientalis*, condidit. *m*) Eodem anno 527. duodecim *Anglorum Duces* validam classem ad Britanniae Orientalis littora adpulerunt, pluribusque pugnis superiores, Britannos, Saxonum exemplo, sedibus suis eiecerunt, *noui regni* conditores. Quatuor nempe Saxonum regnis hucusque stabilitis UFFA, inter duodecim istos Duces praecipuus, *quintum* adjecit, *Ostangliae*, s. Orientalis Angliae, *Regnum*, a. 571. *titulum* Regis assumens. *n*) Felici hoc *Anglorum* successu, et clade *Arthuris*, vltimi Britannorum Regis, qui a. 541. in pugna occubuit,

 excita-

excitatus IDA, Anglus a. 517. nouam Anglorum coloniam in Britanniam deduxit, et *sextum* ibi regnum *Northumbriae* fundauit, anno circiter 551. o) Ultimam denique in Britanniam expeditionem suscepit CRIDA, pariter Anglus, a. 584. qui Anglos suos per Orientalem Angliam ducens, Britannos in media Britannia residuos expulsit, *septimumque Mediterraneorum Anglorum*, i. e. *Middel Angliae regnum*, quod sub *Merciae* titulo notius est, eodem a. 584. erexit, Rex huius Prouinciae salutatus. *p*) Reliquiae Britannorum *q*) qui inde ab *Arthuris* caede absque communi Principe, sub variis infirmis Regulis viuebant, trans Sauernam, in Occidentalem Britanniae regionem, quae hodienum *Cambria* dicitur, profugerunt; quos regio non capiebat, illis Armorica in Gallia sedem dedit, inde ab isto tempore *Britannia* (Bretagne) appellata. Ipsa vero Heptarchia *Angliae* nomen accepit, quae anno demum 827. ECBERTO, Wessexiae antea Regi, tota subiecta fuit. *t*)

i) BEDA l. c. cap. V: Anno ab incarnatione Domini CCCCXLIX. (vti recte legendum putat ANT. PAGI in Critica Annal. Bar. ad a. 449 num. 21) Anglorum sive Saxonum gens, invitata a rege praefato, (Wortigerno) in Britanniam tribus longis navibus advehitur, & in orientali parte Insulae, jubente eodem rege, locum manendi quasi pro patria pugnatura, re autem vere hanc expugnatura, suscepit. Inito ergo certamine cum hostibus, qui ab Aquilone ad aciem venerant, victoriam sumsere Saxones. Eundem annum ponit quoque *Chronicon Saxonicum* ab EDMUNDO GIBSONO editum.

k) NENNIUS cap. 64. Ipsi vero barbari, dum in omnibus bellis prosternerentur, auxilium a Germania petebant, & augebantur multipliciter sine intermissione, & Reges a Germania deducebant, vt regnarent super eos in Britannia. BEDA lib. I. cap. 15. populos ipsos, qui successiue in Britanniam venerunt, ita recenset: „Aduenerunt autem de tribus Germaniae populis „fortioribus i. e. Saxonibus, Anglis, Vitis De *Vitarum* origine sunt *Cantuarii*, & *Vectuarii*, id est, ea gens, quae *Vectam* tenet insulam, & ea, „quae vsque hodie in prouincia Occidentalium Saxonum, *Vitarum* natio nominatur, posita contra ipsam insulam *Vectam*. De *Saxonibus*, id est, ea regione, quae nunc *antiquorum Saxonum* cognominatur, venere *Orientales Saxones*, *Meridiani Saxones*, *Occidui Saxones*. Porro de *Anglis*, hoc est, „

de

„de illa patria, quæ *Anglia* dicitur, & ab eo tempore vsque hodie manere „deserta intra prouincias Vitarum & Saxonum perhibetur, *Orientales Angli*, „*Mediterranei Angli*, *Mercii*, tota *Nord-Humbrorum* progenies, i. e. illa „rum gentium, quæ ad Boream *Humbri* fluuii inhabitant, ceterique Anglo„rum populi sunt orti.

l) HENRIC. HVNTINGDONIENSIS Hist. Anglicanae Lib. II.

m) idem, eod. libro.

n) BEDA Lib. II. cap. 15.

o) Chron. Saxon. p. 19.

p) H. HVNTINGD. Lib. II.

q) Miseriam horum Britannorum GILDAS, cap. 28. ita depinxit: „Itaque „nonnulli miserarum reliquiarum in montibus deprehensi acervatim jugulaban„tur: alii fame confecti occidentes, manus hostibus dabant in aevum seruitu „tis, si tamen non continuo trucidarentur, quod altissimae gratiae stabat in „loco: Alii transmarinas petebant regiones, cum ululatu magno ceu celeusma„tis vice hoc modo sub velorum sinibus cantantes: *Dedisti nos tanquam oves „escarum, & in gentibus dispersisti nos Deus,* Alii a montanis collibus, mi„nacibus præruptis vallati, & densissimis saltibus, marinisque rupibus vi„tam, suspecta semper mente credentes, in patria, licet trepidi, persta„bant.

r) RAPIN de THOIRAS Allg. Gesch. von England T. I. Lib. II. p. 126. Lib. IV. p. 256. 257.

§. XIII.

Superest, vt paucis ea quoque tangamus, quae Linguam, mores et leges Britannorum concernunt, quatenus sub Romanis Saxonibusque et Anglis mutationem subierunt. Britannis antiquis eadem, quae Gallis, *Lingua* fuit, sed paululum dialecto variata. *s*) *Romani* de suo idiomate aliquid introduxerunt. Superuentu *Saxonum* Teutonica lingua propagata est; Normanni Francicam intulerunt, ex quibus mixtis moderna lingua enata est. Montani vero Angli, quos Walos appellant, priscam maxime linguam retinuerunt.

De Moribus Anglorum Muraltius, Lettres ſur les Anglois l. p. 32. Il me paroit, qu'ils tiennent quelque choſe des differentes Nations, qui les ont ſubiugeuz; ils boiuent, comme les Saxons; ils aiment la Chaſſe, comme les Danois: les Normans leur ont laiſſé la Chicane et les faux temoins; ils ont retenu des Romains l'inclination pour les Spectacles ſanglans, et le mepris de la Mort. *Leges Anglorum* a Saxonibus maxime manarunt, quas varia Regum exceperunt ſtatuta, in comitiis condita. Primus haſce leges in Scripturam redegit ETHELBERTUS, Cantii Rex, ſub finem Sec. VII. *Denique Forma regiminis*,[z] inde ab Heptarchia Saxonum, mixta eſt, vt *Rex conſenſu optimatium et populi floreat; hi ſine Regis conſenſu nil poſſint.*

z) TACITUS in Vita Agricolae, cap. 11. Sermo haud multum diuerſus a Gallico.

FINIS.

DOCTIS-

DOCTISSIMO DOMINO CANDIDATO

PRAESES.

Dissertationem abs Te, Praestantissime Domine Candidate! *conscriptam, ita comparatam esse existimo, vt eruditionem atque industriam Tuam egregie demonstret. Gratulor igitur Tibi publicum hoc profectuum Tuorum specimen, vtque eadem alacritate, qua Philosophica et Historica studia tractasti, in Theologicis, quae proxime aggressurus es, pergas, rerumque omnium, diuina gratia adiutus, successu felicissimo vtaris, ex animo adprecor.*

Dabam d. 28 *Sept.* 1768.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg